



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XVII. De Pertinentibus ad vnitatem Christi quantum ad esse. In
duos Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

reduplicacione humanitatis. Similiter ea qua sunt propria hominis, non possunt dici de Christo, vel Deo, vel de hoc homine, cum reduplicacione diuinitatis. Vnde hæc propositiones proprie sunt falsæ: Christus vt homo, est Deus; est Omnipotens, est Filius Dei. Item: Christus vt Deus, est homo; est mortuus, est crucifixus. Ratio est; Quia talis reduplicatio, vt homo, vt Deus, vel reddit causam, vel designat naturam, per quam, aut in qua conueniat Christo tale attributum: vnde reddit sensum proprie falsum. In sensu tamen improprio possunt admitti: nempe si reduplicatio solum designet suppositum; vt sensus sit; Christus, qui est homo, est Deus; est Omnipotens. Sed aduerte, tunc reduplicacionem esse superfluum, & locutionem impropriam & exoticam.

Quod autem D. Thomas in Respon. ad 3. ait: hanc propositionem: *Christus vt hic homo, est Deus*, magis esse veram, quam istam: *Christus vt homo, est Deus*; eod quod illud *hic*, designet suppositum; verum quidem est; tamen absolute est etiam impropria locutio; vt docet Durandus, & rectè, dist. 10. quæst. 1. Nam illud *hic*, significat potius indiuiduationem naturæ, quam suppositum. Vnde sen-

sus est proprie: Christus ab hac humanitate habet quod sit Deus. Quare non est ita loquendum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hac sit vera: Christus secundum quod homo, est hypostasis?

Respondet D. Thomas cum distinctione. Notandum breuiter, hanc: *Christus vt homo, est hypostasis vel persona*; ambiguam esse. Si enim, vt, accipiatur reduplicatiue, est falsa: significat enim Christum habere personalitatem à naturâ humanâ. Si autem specificatiue; id est, si solum designet naturam, in qua habet nouam rationem personæ, est vera. Nam sensus est; Christum vt hominem, esse quid subsistens. Magis tamen propria est hæc; *Christus vt homo, est persona humana*: nam etsi humana natura non sit ratio cur Christus sit persona absolute; est tamen ratio cur sit talis persona; nempe humana.

20

Christus vt homo est persona humana.

Christus vt hic homo.

QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad Vnitatem Christi, quantum ad esse.

In Duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit Vnum, an Duo?

Respondetur; *Christus est Vnus & Vnum*. Et quidem quod Christus sit Vnus, est fide tenendum. Patet ex Symbolo Nicæno & Athanasij; & ex dictis supra quæst. 2. art. 2. Ratio est; Quia, Vnus, quando solitariè ponitur, indicat vnitatem personæ; vt patet ex communi modo loquendi. Hinc Pater, Filius, & Spiritus sanctus, etsi sint Vnum, non tamen Vnus: quia non sunt vna Persona.

Quod autem Christus etiam sit Vnum neutre, non duo: Probatur, Quia est vnum ens sine imperfectione compositum. Item, est vnum suppositum in duabus naturis subsistens: atqui Vnum solitariè sumptum, nihil aliud significat quam vnum ens, & vnum suppositum. Secundo, Quia Christus non est plura: ergo absolute est vnum. Antecedens patet; Quia nec est plures naturæ, nec plura supposita. Non plures naturæ; nam etsi diuinitas dicatur de illo; non tamen humanitas. Et ratio est; Quia vt aliquid dicatur simpliciter vnum, satis est vt sit vnum suppositum. Patet ex supra dictis. Dices; Christus est aliud per diuinitatem, aliud per humanitatem: ergo est duo. Antecedens patet ex multis Patribus, qui ita loquuntur. Vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 36. & lib. contra Felicianum cap. 11. Respondeo; D. Thomas hic negat Antecedens, Quia,

inquit; Aliud significat diuersitatem naturæ & suppositi. Quod verum est, si nomen Aliud sumatur strictè. At si largius sumatur, potest admitti, nec omnino improprie. Et sic intellige quod docuit D. Thomas supra quæst. 2. art. 3. ad 1. cum ait: Quod Christus dicatur aliud & aliud, non importat diuersitatem suppositi, sed diuersitatem naturarum. Et ita sæpè loquuntur Patres. Et simili modo concedi posset Christum esse duo: nam sensus est, subsistere in duabus naturis: magis tamen proprie hæc locutiones negantur. Quod autem D. Thomas ait, diuersitatem accidentalem facere Alterum, sumptū est ex Porphyrio & Aristotele male verso; nam pro ἀλλοίον, id est, diuersum seu varium verum est Alterum. Absolute enim est falsum: non enim lac est alterum per dulcedinem, alterum per albedinem.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sit tantum vnum esse?

Respondet D. Thomas, in Christo est tantum vnum esse; nempe completum. Ratio est; quia natura humana non vnitur ei accidentariè, sed substantialiter & hypostaticè; ac proinde non facit in ipso diuersum esse personale, seu completum: sed solum facit vt adueniat noua habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam. Cetera vide apud D. Thomam.

Vnus.

Vnum.

Duo improprie.

D V B I V M.

Virum in Christo sit tantum una existentia? Sive, utrum in Christo natura humana habeat suam existentiam creatam: An vero existat formaliter in verum naturam per existentiam increatam Verbi?

3
Sententia Thomistarum.

Improbatur.

Natura essent permixta & confusa.

Quo alia incommoda

Primum.

Secundum.

Tertium.

Perique Thomista occasione verborum D. Thomae in hoc articulo, censent Christi humanitatem non habere existentiam creatam, sed dumtaxat increatam; per quam existat, sicut subsistit per increatam subsistentiam.

Sed dicendum est breuiter; humanam naturam in Christo habere suam creatam existentiam quam formaliter existat, sicut & in nobis; nec vlllo modo existere per existentiam increatam. Est communis sententia Theologorum, praeter Thomistas. Bonaventurae in 3. dist. 5. Scoti, Durandi, Gabricils, Almaini in 3. dist. 6. Et ibidem Paludani, quamquam ipse sit Thomista. Idem expressè docet D. Thomas in quaest. de Verbo Incarnato art. 4. neque hic sentit contrarium.

Probatur Primò, Quia si humanitas Christi non habeat existentiam creatam, sed existit per increatam; vix intelligi potest, quomodo in Christo sint duae naturae integræ impermixtae & inconfusae: & quomodo ex duabus non sit vna confata. Quae duo tantopere damnantur à Concilio & Patribus; vt patet ex Concilio Chalcedonensi act. 5. & ex V. Synodo can. 2. & ex VI. Synodo act. 4. & 17. & ex Damasceno, tum alibi, tum lib. 3. De fide cap. 3. vbi ait: *Humanitas, neque in diuinitatis naturam versa est, neque existentia primata.* Confirmatur; Quia non potest assignari natura humana integra & actualis, quae tota sit distincta à natura diuina: nam in illa intrinsecè includetur esse diuinum, per quod ipsa est ens actuale, & humanitas actualis: ergo erunt permixtae & confusae. Essentia quoque & existentia vnam naturam actualem constituunt; quare ex duabus naturis constitueretur vna.

Probatur Secundò, Si humanitas existeret formaliter per esse increatum, sequerentur multa alia incommoda. Primò, Ipsam secundum se & praecise consideratam, non esse quid creatum; quia non haberet aliquod esse, quod sit terminus creationis. Nam esse quod ipsa habet praecisè existentia, est solum quid potentiale: quale esse habuit ab aeterno, quod secundum se non est creabile. Si dicas; ipsam creari, quatenus accipit esse diuinum. Contra: ergo ratione esse diuini creatur; ac proinde esse diuinum est terminus formalis creationis: quod videtur esse erroneum. Secundò, Sequitur Christum non habere humanitatem, & vires animae eiusdem rationis ac nos habemus. Nam in ipso, secundum se & praecise consideratæ, vt distinguuntur à diuinitate, non erunt quid actuale & in rerum naturam existens: cum in nobis sint quid actuale distinctum à natura diuinâ. Item, in ipso habebunt esse extra nihil, per diuinitatem; in nobis, per esse creatum. In ipso, potentiae nullam habebunt propriam existentiam accidentalem manantem ab essentia sicut in nobis; nam existent per existentiam diuinam formaliter. Tertio, sequitur, Animam Christi non esse creatam actione eiusdem rationis atque

nostras animas; ac proinde nec esse eiusdem naturae: creatio enim illius animae nihil erit aliud, quam coniunctio essentiae potentialis cum esse increato: quae actio est merè ordinis supernaturalis, nullam habens similitudinem cum creatione rerum. Quarto, Sequitur humanitatem Christi non posse conseruari in rerum naturam si dimitteretur à Verbo; sed necessariò abituram in nihilum. Quintò, Humanitatem non posse videri intuitiue vt rem actu existentem, nisi visâ diuinâ existentia. Vnde Daemon non poterit illam videre: quia non potest videri effectus formalis, nisi visâ formâ: v.g. non potest videri album, nisi videatur albedo: sic non potest videri existens, nisi visâ existentia. Sextò, Sequeretur in Christo non fuisse eandem naturam numero, quae antè fuerat sub forma sanguinis B. Virginis. Patet, Quia sub forma sanguinis in Virgine habuisset esse creatum: sub forma carnis in Christo, habuisset esse increatum: ac proinde fuisset diuersum ens actuale. Septimò, Sequeretur illam naturam fuisse annihilatam, & in eodem instanti reproductam. Quia quando desijt esse sub formâ sanguinis B. Virginis, amississet suam existentiam; quod est annihilari. Et in eodem momento accepisset existentiam diuinam: atqui implicat vt res tota simul desinat, & eodem momento tota simul incipiat esse. Octauò, Sequeretur Trinitatem esse incarnatam. Nam vnio facta crit in aliquo communi & essentiali; nempe in existentia. De quo vide supra contra Durandum quaest. 3. art. 2.

Probatur Tertio, Id quod assumitur, praesupponitur assumptioni, tamquam prius naturam existens: vt docet D. Thomas quaest. 4. a. 2. & 3. Sicut id quod vnitur, praesupponitur vnioni (hinc fit vt creatio animae, supponatur vnioni ad corpus, iuxta sententiam omnium Theologorum & Philosophorum;) ergo Anima prius naturam existit, & est ens actuale, quam assumatur: ergo tunc habet esse creatum. Confirmatur; Quia id quod non habet esse actuale extra nihil, non potest intelligi vniri alteri rei, aut esse subiectum alicuius mutationis, & realis actionis, quâ fit vnio. Quò fit, vt cum essentis rerum non possint vlla accidentia realiter vniri, nisi illae iam sint extra nihil per existentiam actualem: nam existentia est initium rei, & fundamentum omnium aliorum circa illam.

Probatur Quarto, Existentia est id, quo formaliter res est extra nihil, & entitas creata; nam praecisè existentia per intellectum, nihil remanet nisi quid potentiale, quod reuera nihil est, sicut ante mundum nihil erat. Atqui implicat vt aliquid sit extra nihil, & res creata, per rem omnino distinctam, maximè increatam.

Postremò, Existentia non tantum pertinet ad suppositum, sed etiam ad naturam; natura enim verè existit: atqui ea quae naturam sequuntur, in Christo sunt duplicia; vt passim docent Concilia & Patres. Confirmatur; Quia licet in Trinitate sint tres personae, tamen quia est tantum vna natura, est etiam tantummodo vnicum esse, & vnica existentia absoluta; nam existentia sequitur naturam: ergo cum hic sint duae naturae, erunt etiam duae existentiae. His adde, Patribus hanc vnionem penitus esse ignotam.

Contra, Obijciunt Primò, Humana natura potuit subsistere subsistentia diuinâ; cur non etiam potuit

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

Existentia humanitas praesupponitur vnioni.

Existentia est ratio formalis per quam res est.

Existentia est ratio formalis per quam res est.

4
Obijciunt.

Potuit existere in rerum naturâ per diuinam existentiam?

Solutur.

Respondeo, Quia existentia non supponit rem constitutam in rerum natura, & in ratione entis actualis; sed ipsamet constituit illam in eo statu: vnde est inseparabilis ab illa, quamdiu illa manet res creata in rerum natura existens. Sicut omnis forma est inseparabilis à re, quamdiu manet eius effectus formalis. Subsistentia autem est modus essentia, supponens illam constitutam in rerum natura, solumque illam modificat: talis autem modus separari potest, & nisi quid aliud obstat, aliunde suppleri.

2. Obiectio.

Dices Secundò, In Christo est tantum vnicum esse; vt docet D. Thomas: ergo tantum vnica existentia: ergo &c.

Solutur.

Respondeo, In Christo est tantum vnum esse, scilicet completum, seu vnum esse personale; vt scilicet D. Thomas expressè addit tum hic, tum q. 19. a. 1. ad 4. hoc autem est esse increatum. Accedente autem naturâ humanâ, solum huic esse accedit quædam relatio; vt inquit D. Thomas.

3. Obiectio.

Dices Tertio, Quia alioquin Christus haberet duo esse substantialia; ac proinde esset simpliciter duo: quod est falsum.

Respondeo, Concedo Christum habere duo esse substantialia; sed alterum completum, nempe esse diuinum; alterum secundum se incompletum, nempe esse humanum, quod tamen per diuinam hypostasim completur. Non tamen ideò Christus est duo; nam est vna hypostasis, imò & vnum ens sine imperfectione compositum. Non possunt autem dici duo, nisi sint duo supposita; vt supra dictum est.

4. Obiectio.

Dices Quarto, Si humana natura in Christo haberet suam existentiam creatam, vnio diuinæ naturæ cum humanâ esset accidentaria, non substantialis: quidquid enim aduenit enti in actu, facit vnum per accidens.

Solutur.

Respondeo; Solum sequitur non esse vnionem essentialem quâ fit vnica natura: non autem substantialem quâ fit vna persona. Nam ad vnionem substantialem satis est, vt ad aliquod substantiale complementum duo vniantur: quomodo etiam membra corporis inter se vniantur. Atqui Verbum diuinum ita se coniunxit humanæ naturæ, vt daret illi formaliter complementum substantiale, efficeretque vnum subsistens perfectè, supplendo quod deerat ad perfectam subsistentiam hominis.

Q V Æ S T I O X V I I I.

De Voluntate Christi.

In Sex Articulis diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sint duæ Voluntates?

1. Variæ hereses circa Christum.

Respondetur Affirmatiuè, In Christo esse duas Voluntates.

Notandum est, Præter eos qui in Christo tantum vnâ naturam esse dicebant, qui etiam necessariò vnâ dumtaxat ponebant voluntatem, vt sunt Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Photinus, Paulus Samosatenus; qui tantum humanam naturam Christo tribuebant: Itè Valentinus, Cerdon, Marcion, Manichæus, Apollinaris, Eutyches, qui veram humanam naturâ in Christo negabant: fuisse alios hæreticos, qui duas quidem naturas, humanam & diuinam faterentur in Christo; tamè negabant duas voluntates, maxime quoad actus, sed solam ponebant diuinam: vnde dicti sunt Monothelitæ. Incepit autem horum error circa annu 630. à Cyro Alexandrino Episcopo, vt inquit Damascenus lib. de heresibus sub finem; quem secutus est Sergius Episcopus Constantinopolitanus, & aliquot eius successores per annos 50; & Macharius Antiochenus. Quidam putant Honorium I. qui illis temporibus erat Pontifex Romanus, in eodem errore fuisse. Ita Canus lib. 6. de locis cap. 8. & alij plurimi recentiores & Doctores Scholastici. Sed multò verius est Honorium numquam in hoc errore fuisse: imò valdè probabile est nullum vquam Romanum Pontificem fuisse hæreticum; quod bene defendit Albericus Pighius lib. 4. Eccles. hierarch.

Monothelita vnâ solam in Christo ponebant voluntatē.

Honorius Papa vni diuitur.

cap. 8. & lib. 6. cap. 11. & Bellarmius contrauersâ de Pontifice.

Quia verò hi hæretici ponebant in Christo voluntatem diuinam; nobis tantummodo probandum est in ipso etiam fuisse voluntatem humanam, tam quoad actum, quàm quoad potentiam. Sic enim constabit in ipso fuisse duas voluntates; quod quærebarur.

2.

Sunt duæ in Christo voluntates.

Probatur ergo Primò, Ex Scripturis: Matthei 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ioan. 6. v. 38. *Nô veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Quibus locis distinguit Dominus suam voluntatem à voluntate Patris: loquitur enim de actu voluntatis humanæ, non absoluto, sed conditionato & inefficaci: atqui voluntas diuina Christi non erat distincta à voluntate Patris: ergo præter diuinam habebat aliam. Deinde ad Philip. 2. v. 8. & ad Rom. 5. v. 19. & ad Hebr. 5. v. 8. tribuitur Christo obedientia: atqui obedientia est actus voluntatis creatæ.

Ex Scriptis.

Probatur Secundò hæc veritas ex Concilijs: Quia definita est in VI. Synodo Generali quæ expressè contra hunc errorem est congregata; vbi actione 4. eadem veritas copiosè probatur ex Scripturis & Patribus in epistola Agathonis Pape. Definita etiam est in Concilio Lateran. sub Martino I. à can. 10. vsque ad 17.

Ex Concil.

Probatur Tertio Ratione. Primò, Quia Christus perfectam naturam humanam assumpsit; vt supra q. 2. & 6. ostensum est: ergo non caruit voluntate. Nam hæc vis naturaliter comitatur animam rationalem, sicut & intellectus. Quod si potentiam, etiam actum habuit; cum nulla sit

Triplici ratione.

I i iij ratio,